

DISPVTATIO IVRIDICA 30 358.

De

1626, 4.

**SERVITVTI-
BUS PERSONA-
LIBUS**

XXXIII

QUAM
D. O. M. A.

PRÆSIDE

Amplissimo Consultissimo Viro,

DN. CASPARO BITSCHIO, I.V.D.
EMINENTISSIMO, IN ACADEMIA ARGEN-
TORATENSI P.P. ET INCLYTÆ FACULTATIS
juridicae Seniore; Præceptore & Fautore suo
officisè colendo

Publicæ ventilationi exponit

MARTINVS WILLER SIL.

Ad diem Decembr. horis locoq; solitis.



ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI.



DISTILLATIO INRIDICA

30

SERVITI
PERSONA

DOMA

DISCIPULUS TO PISCORUM

TRINITY COLLEGE ACAD MRCM

UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

PRINTED BY JAMES COOK FOR THE AUTHOR

CAMBRIDGE IMPRIMERIA

Argentum Decoloratione et Gofre



ACADEMICO

Exhortatio ad virtutem probitatis

anno M DC XXXV

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

De Servitutibus Personalibus dissertero mihi, non
prospiciendum esse puto de phalerata materia
commendatione, cum sol facibus illustrari haud
debeat c. si omnia 6. q. i. (quo dicerio in simi-
litudine Schneidv. pr. Instit. de action) Quia
potius id submisere orandum ab omnibus mihi esse existimo, ut
conatum meum non temerarium in re difficult, sed honestum
in re laudabile pronuncient; ingenii itidem, quam sponte pro-
fiteor, tenuitatem non suggillent, in studiis hisce, quam tyro
dissimulare haud possum, lingue balbutiem non obificant, sed
eo, quem quisque suo loco optaret, favoris Zephyro, me, pericu-
li facienda causa, utinam sine periculo! usum pelagus in-
gressum, bene volè prosequantur. Nunc, Numine reveren-
ter adorato, ad opus me accingo.

THEISIS I.

Cum ordine nihil pulchrius, & scire, secundum vul-
gatissimum effatum, quid facias, & nescire, quo or-
dine facias, haud sit perfectæ cognitionis: Ideoque & nos
ordinem servaturi, primò omnium in Definitionem in-
quietamus; (a) quā Seruitus Personalis (b) dicitur,
quæ personæ (c) à re alienâ (d) deberur, cuius ad dō
cōmoditates respicit, ut sine eâ consistere non possit. (e)

(a) Bart. in l. i. §. dolum D. de dol. mal. Gl. in l. fin. de V. S.
quippe quæ potissima cujusque rei pars, Cai. in l. i. de orig. jur. im-
mō fax & anima totius tractationis, quā rectè percepta, totum re-
ctius percipitur negotium.

A 2 (b) Servi-

(b) Servitutis vocabulum ambiguum est, *Baro ad l. i. de servitut.* Primò tribuitur hominibus, qui servire dicuntur in domino nostro constituti: *Dein' de rebus accipitur, cum res aliena, veluti fundus aut predium, quod est alterius dominii, non domino vel rei alienæ servit.* Prior significatio ab instituto nostro aliena est: Nam ea servitus, quæ de hominibus accipitur, dicta est à servando, & appellatur constitutio Jurisgentium, quâ quis dominio alieno contrâ naturam subjicitur, §. 2. *Institut. de jur. person. l. 4. §. 4. D. de stat. hom.* (Hanc alii mixtam faciunt servitutis speciem; *Schneidvv. ad §. 2. Instit. de action. num. 4.* Cum tamen, quantum refert inter jus, quod ad personas pertinet, & jus, quod res hominibus distribuendas spectat, tantum discrimen sit inter servitutem hominum, & servitutem rerum inanimatarum, dicente *Oldendorp. class. 3. cent. 4. in pr. junge Donell. 9. com. cap. extr.*) Hæc nostra verò non à servando, sed serviendo nomen accepit, & dicitur jus in alienâ re constitutum, ad nostram rerum vè nostrarum utilitatem; quæ dominium rei servantis non transfert in eum, cui, vel cuius rei ipsa debetur. Quare hæc nostra servitus non est in rebus nostris, sed alienis: Illa non est in rebus alienis, sed nostris; quandoquidem homines, quod magis in potestate dominorum sunt, eò magis servi; contrâ fundi, quod magis in jure domini, eò magis liberi. *Donell. 9. com. 25. videatur Vultei. com. Instit. de servit. in pr. n. 1.* Atque in hæc significatione posteriore sumpta servitus, dividitur in *Realem*, ubi præmium prædio servit, *l. i. §. 1. commun. præd. & Personalem l. i. de servit.* in cuius naturam, quantum feret ingenio heberudo, & in studiis hiscè nondum roboratum pœnitus, anquirere mens animi est.

(c) Ad dijudicandam servitutis naturam, inspicendum esse Dd. monent, cui debeatur, & ab eo, tanquam digniori, de nominandam eam esse, *l. 2. verb. aream, de S. P. V. Cæpolla de servit. vrbani. c. 2. n. 5.* Hæc autem, de quibus acturi sumus, servitutes, debentur personæ, & unâ cum eâ vivunt & extinguuntur §. fin. *Instit. de usufruct.*

(d) Nulli namque res sua servit *l. 5. in pr. si susus fr. pet. l. 26. de S. V. P.*

(e) Scilicet natura harum servitutum non prædii, sed personæ



380.

sonz commodates respicit l. 22. de vf. & habit. Quin, uti modo dictum, ita cohæret personæ, ut eā extincta unā extinguatur, nec ad hæredes transeat l. 8. §. 3. de liber. leg. l. 26. de stipul. serv.

II.

Estq; ea vel plenissima, vel minùs plena. (a) Plenissima est ususfructus: (b) Qui iterū vel Verus, vel Quasi Ususfructus. (c) Minùs plenæ sunt Usus & Habitatio. (d)

(a) Ratio distinctionis petita est ex §. 1. Instit. de Usufruct. de quāgl. in l. 30. D. eod.

(b) Ratio: Quia datur jus & facultas utendi fruendi, ut quis possit fructus vendere, servare, locare alteri, ut fruatur; & quicquid omnino ad plenitudinem utendi fruendi pertinet salvâ terum substantiâ: Tum quia omni fructui inest usus, sed non pari ratione usui fructus. Zaf. ad §. 2. Instit. de action. num. 3. videatur Treutler. 1. disput. 16. thes. 8.

(c) De quâ divisione infra thesibus seqq.

(d) De quibus suo loco. Atque has species præcipuas, usitatores & communiores quidem esse, plures tamen insuper afferri posse (aquæductum l. 37. de S. R. P. iter l. 6. de servit. leg. pecoris ad aquam appulsum l. 14. §. fin. de alim. leg.) adstruunt alii. Sed respondeo cum Tim. Fab. disp. Instit. 15. th. 3. lit. A. multum interesse, de substantiâ, an de usu servitus agatur: Illa ex natura, origine & causis propriis, astimanda: Hic & ex accessione. Nec novum est in iure nostro, ut servitus, quæ suâpè naturâ est Realis, fiat interdum personalis, si videlicet ad personam expressè referatur & constringatur l. 39. §. 4. de leg. 1. (Non autem ut servitus personalis fiat realis. Ratio diversitatis: Quia qua usui sunt rebus, eadem etiam usui esse possunt personis, non vice versa. Hillig. Don. enucl. lib. 10. cap. 1.) Sic & servitus lapidis cædendi, ut ut sit prædialis, tamen propter relationem ad personam, dicitur personæ & non prædii l. 5. §. 1. cum l. seq. de S. P. R. Sed quid de operis & ministerio servorum statuendum: Potius obligations quasdam personales esse, quæ constitutione operarum orientur, quam servitudes, censentibus

A 3:

Hotoman.



Hotoman. illustr. qq. 41. Coras. ad rub. de servit. num. 26. Quanquam non desiat, qui probabiliter contrarium adserant.

III.

Vsusfructus verus est jus (a) alienis rebus (b) utendi fruendi (c) salvâ (d) rerum (e) substantiâ.

(a) Genus hoc cum Imp. nostro pr. *Instit. de Vusufr.* & *Pau-*
lo in l. i. D. eod. retinere maluumus, quam cum quibusdam servitu-
tem personalem, tanquam genus proximum, substituere. 1. defi-
nitur enim ibi *Vsusfructus*, ratione habitâ ad fructuarium, non re-
spectu rei, quæ illam servitatem debet: Illius autem intuitu poti-
us jus, id est, facultas jure concessa re illâ utendi, quam servitus dici potest. 2. tûm in definitione etiam aliâs mutanda foret diffe-
rentia, cum incongruè ita efferretur: Servitus utendi fruendi; quod
rectè animadvertis Bachov. i. disp. *Treutl. 16. th. 1. lit. A.*

(b) Ratio vulgata est: Quia res sua nemini servit. Cui ad-
sertioni cum adversetur illud, quod in iure passim utendi fruendi
facultas, quâ in re propriâ dominus habet, *Vsusfructus* appellatur;
Dd. *Vsumfructum in Causalem & Formalem* divisorunt: Quæ dis-
tinctio ab hoc quidem servitutum tractatu rectè removetur, cum,
uti dictum, res sua nemini serviat *Treutl. 1. disp. 16. th. 1. lit. B.* Ali-
bi tamen, ad distinguendum jus utendi fruendi, quod dominus in
re propriâ habet, doctrinæ causa retineri potest, uti prolixè probat
Hillig. Don. enucl. 10. com. 11. lit. E. scilicet non ut distinctio generis
in species, sed ut vocabuli æquivoci in sua æquivocata: Habet enim
& dominus reverâ usumfr. hunc tamen, qui servitus est, non habet.
Hotoman. pr. Instit. de usufr.

(c) Fruendi vox adjicitur ad excludendum nudum usum.
Qui enim usum tantum habet, minus habet quam qui usumfruc-
tum, §. 2. *Instit. de usufr.* & *habit.* & ibi *Mysing.* Omnes siquidem o-
mnino fructus, tam naturales quam industrielles, omnesque pro-
ventus, reditus & emolumenta, quæcunq; ex re usufructuarium vel
ejus occasione percipiuntur, ad fructuarium pertinent *l. 7. de usufr.*

(d) Ostenditur hic forma & modus non tantum utendi
fruendi, ut salvâ maneat rei substantia *l. 13. in pr. b. t.* (cujus ratio-
ne & constitutum est, ut usufructarius rem in usumfructum ac-
ceptam,



307.

ceptam, salvam fore & mansuram esse cavere teneatur, t.r. ususfructuar. quemadmodum. cau.) Verum etiam amittendi ususfructus, qui tum statim extinguitur, simul atque salva rei substantia esse desit l.s. §. 2. quib. mod. ususfr. amitt. & Imp. inf. pr. Instit. de ususfruct. Vnde & Quali usumfructum sub hac definitione non contineri in propatulo est. Bachov. d.l.

(e) Hanc vocem otiosè repeti opinatur Hotoman. com. ad pr. Instit. d.t. in ejusquelo cum verbum, earum, substituit. Sed peculiaris emphaseos ergo factum hoc ab Imp. putandum est, ut ostenderet, ususfructu constituto licere utifrui rebus alienis, sed salvâ rerum ipsarum, quibus fruimur, substantiâ. Donell. 10. com. 2.

I V.

Hunc ergo considerabimus tum ut (a) constituendum, tum ut constitutum, (b) In constituendo advertemus ad causas tum Internas tum Externas. Internæ sunt Materia & Forma.

(a) Cum divisio tria bona operetur; animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, & memoriam artificiosè reformet, secundum g. §. 4. proœm. Instit. Licet hæc ita commodè partiri; quod enim divisi traditur, magis clarum est, magisque capax, inquit Fab. ad rub. t. de action.

(b) Vultei namque monitum est in com. Instit. ad §. fin. de servit. rust. & urb. præd. diligenter distinguendum esse inter servitutem constituendam & constitutam. Nam si de constituenda ea convenerit, & promittens non constituat, agitur adversus ipsum, non actione aliquâ reali, sed personali, forte ex stipulatu: Si constituta sit, & is, qui ea utendi facultatem habet, impediatur quod minus uti possit, actione utitur reali, eaque vel petitoria vel possessoria arg. l. fin. de ll. vide infra th. 9.

V.

Materia in quâ sive subiectum proprium & adæquatum ususfructus sunt res consumptioni non obnoxiae, (a) mobiles & immobiles, animatæ & inanimatæ, dummodo aliqua in eis sit commoditas, qualiscunq; etiam (b)

Veruncta-



Veruntamen utilitatis causa SCto (c) introductum est, ut earum quoq; rerum, quæ usu consumuntur, non verus quidem, sed Quasi ususfructus (d) cautionis interventu possit constitui.

(a) Istarum enim rerum, quæ usu consumuntur, verum esse usumfructum nec naturalis ratio patitur, nec civilis §. 7. *Instit. b. t.* Non illa: Debet enim salva manere proprietario rei substantia, pr. *Instit. d. t.* At contrà naturam est, ut ejusdem rei usus sit & abusus, *Cic. in Top.* Nec civilis admittit ratio, propter cautionem Q. de cädem re præstandam l. 13. de usufr. *Donell. 10. com. 4.* De vestimentis hoc loco queritur, an recte in censum earum rerū, quarum usus in abusū consistit, ab Imp. in §. 2. *Instit. d. t.* referantur? Dixit. Imp. loqui de regula: Ut quoniam & vestimenta paulatim usu pereunt, regulariter ususfructus verus in iis constitui nequeat: In Digestis verd, ubi juris incrementa traduntur, & res ad æquitatem exiguntur, *Cuiac. tr. 8. ad Afric.* casus illi speciales considerandi sunt: Si disertè leget Testator vestimenti usumfructum, aliter, quæ in pecunia, voluntatem servandam, quia commodiùs possit, atque ita ususfructarius hāc conditione utetur vestimento, ne proslus abutatur l. 15. §. 4. b. t. quia vestimenti usus non statim in abusū est ut frumenti *Wef. ad d. §. 2. Instit.* quamvis alteretur l. 10. usufr. quemadmodum can. Atque hoc est, quod alii afferunt, usumfructum vestimentorum & verum esse, eorum scil. quæ ita gestantur, ut usu non statim consumuntur, qualia sunt lugubria, festiva: Et Quasi ususfructum, eorum, quæ quotidiano ufu consumuntur d. l. 15. §. 4. & seq. de usufr.

(b) L. 15. de servit. l. 28. & 41. b. t. Cujusvis enim est, astimare, quid è re suâ putet l. 36. de bon. qualib. *Donell. 10. com. 3.*

(c) L. 1. de usufr. ear. rer. SCtum hoc ideo necessarium, quia alias pecunia ususfructu legato nihil ageretur, cum nec mutuum posset intelligi, quia Testator sic non vocasset l. 3. de reb. dub. nec verus ususfructus, cum id rei natura non patiatur. *Donell. d.l.*

(d) Quemadmodum enim alias etiam multa contrà stricti juris regulas, utilitate exigente, introducta sunt l. 15. circa f. ad l. Aquil. ita & hic utilitas, quod hominum voluntates ad exitum perducentur, prævaluit §. 2. *Instit. de usufr.*

Ad



VI.

362

Ad Formam, *constituentis intuitu*, pertinet, quod & pure, & cum adjectione. (a) pro parte divisâ vel individuâ (b) constitui potest: *Respectu Fructuarii* id ai formam spectare videatur, ut, an equum usum fructum con sequatur, cautionem præstet: (c) Quæ alia est in usufructu vero, (d) alia in Quasi usufructu. (e)

(a) Adjectio, inquam, vel conditionis vel temporis, putav el in diem, vel ad diem l. 54. de usufr. l. 12. C. eod. l. 9. §. 2. usufruct. quemadm. cau. Licet enim servitutes prædiales neq; ex tempore, neque ad tempus aut sub conditione constitui posse videantur l. 4. de servit. In personalibus tamen secus est, l. 16. & 2. famil. hercic. Rationem differentiæ explicat Welenb. in parat. de servitut. num. 8.

(b) L. 5. de usufr. l. 1. §. 9. ad l. Falcid. Ratio: Siquidem & ipse fundus, E.C. in quo usus fructus constitutus est, divisionem recipit. Bachov. d. disp. tb. 3. lit. K. ut & fructus, in quibus is consistit l. 19. de us. & habit. Govean. ad l. 1. §. 9. ad l. Falcid. n. 1. Hinc queritur: An ususfructus sit dividens? Ita dicitur pluribus in locis, d. l. 1. §. 9. l. 81. ad l. Falcid. l. 6. §. 4. si servit. vind. l. 20. de us. & habit. Nec defunt negotiibus tationes. Putamus id cum aliis ita explicari posse, si dicarur, dividuum esse, utilitatis & fructuum respectu, non per se, quatenus jus est & servitus. Hillig. 10. Don. enucl. cap. penult. Unde cæteræ servitutes individua forsan idem dicuntur, quod illis integris semper utimur; usufructu etiam pro parte, imò nunquam simul toto. Bachov. d. l. Cujac. ad l. 2. & 72. de V.O.

(c) Qualis autem cautio hæc esse debet, queritur? Fidejussoriā expressi textus requirunt l. 13. in pr. de usufr. l. 7. usufructuar. quemadm. cau. quandoquidem satisfactionem per Fidejussores propriè fieri intelligimus l. 1. qui satisd. cog. & aliis cautionis speciebus oppositam, quæ de re videatur Treutl. 1. disp. 5. tb. 1. lit. A. Hodie tamen pignoribus etiam fieri volunt Gail. 2. obs. 47. n. 4. alijq; à Colleg. Argent. allegati lib. 7. t. 9. th. 6. Quod si Fructuarius ob paupertatem vel alias difficultates fidejussores idoneos producere nequeat, judicis arbitrio committendum putat Ioh. del Castillo tr.

B de

de usuf. c. 18. n. f. qui consideratis personæ qualitatibus & negotiis circumstantiis, definiat, an juratoriæ cautione proprietarius contentus esse debeat, an verò bona fructuaria sequestranda sint. Alio^rter *Mynsing. 6. obs. 48. n. 8. junge Gail. d. l. n. s.* ubi quatuor opinioⁿnes de hoc negotio recenset.

(d) De quâ est l. i. & t. t. usufuct. quemadm. cau. scilicet ut usufuctarius caveat 1. re in ulumfr. concessâ se usurum boni viri arbitratu l. fin. d. t. l. 4. C. de usufuct. 2. se finito usufuctu rem in ulumfr. concessam in specie restituturum, si non meliorem, certè nec deteriorem.

(e) In hâc etenim non cavit usufuctarius, se usurum boni viri arbitratu, quoniam re aliter uti non potest nisi absumento; neque rem in specie se restituturum, quod, reabsumptâ planè esset impossibile: Sed id saltem cavit, se rem eandem in genere redditurum aut ejus aestimationem l. 2. de usuf. ear. rer. l. 6. & segg. eod. Quibus locis cautio hæc tanquam de substantiâ Quasi usuf. exigi videtur per d. §. 2. *Inß. de usuf.* ubi dicitur: Senatum introduxisse Quasi - usumfructum PER CAUTIONEM, perindè ut in alleg. l. 2. dicitur, Quasi - usumfructum remedio cautionis haberi coepisse. Quod enim in usufuctu vero sunt corpora, id in facto cautio hæc, subjectum scilicet, cui ille inhæret. *Hillig. 10. Don. enucl. 4. lit. E.* undè nec omitti eam posse ex l. 1. C. de usuf. conflat. Distingu. Colleg. Argent. lib. 7. t. 5. th. 7.

VII.

Externæ sunt Efficiens & Finis. Ratione Efficientis ususfructus constituitur vel à Lege, vel ab Homine. A Lege vel in specie ita dictâ (a) vel Lege vivâ (b) (quâ periphrasi magistratum designant) Ab Homine (c) vel inter vivos (d) pactionibus & stipulationibus (e) vel ultimâ voluntate. (f)

(a) Et iterum à lege vel mediata, hominis facto interveniente, *Bachov. d. disp. th. 2. lit. E.* ut usufaciōne l. ult. inf. C. de long. temp. prescript. (de quâ tamen vid. *Ampliss. Dn. Præs. in Disp. de usuf. th. 2. p.*) Quorsum fortè referri etiam potest acquisitione per jus accrescendi, t. t. D. de usuf. ad cresc. vel immediatè, V. C. patri

in

503

in bonis filii adventitiis §. 1. *Instit.* per quas person. enig; acquir. l. 6.
in pr. C. de bon. qua lib. itemque in bonis filij emancipati pro dimidiā, §. 2. *Instit.* d. t. Sicut & mulieri (superstitibus ex priori matrimonio liberis) ad secunda vota transeunti, in bonis, quæ titulo lucrativo à marito defuncto, aut successione liberorum prioris matrimonii adsecuta fuit, l. 3. & *Auth. seq.* C. de secund. nupt. l. 5. C. ad *SCtum Tertyl. Nov. 12. c. 46.* §. 2. An idem in marito? ita jubent Q.
Dd. communiter. *Gail. 2. obf. 98. n. 3.*

(b) *Vide Bachov. disp. 3. de Action. th. 35.* Quanquam & sic possis dispeſere: vel à Lege, vel ab Homine: Et ab hoc vel in judiciis, vel extra judicia. In judiciis, putà Divisoriis, Familia herciscundæ & Communi dividendo, si iudex alii proprietatem, alii usumfructum adjudicaverit, dicente *Cajo in l. 6. §. 1. de usufr.* & *Vlpi-an. in l. 16. §. 1. fam. hercisc.* eodemq; in l. 6. §. 10. comm. divid.

(c) Seu domino, eoque vero ac proprio l. 63. & 72. de usufr. Tuitione tamen Prætoris etiam Vasallus, Emphyteuta, & Superfi ciarius usumfructu constituant l. 1. in pr. quib. mod. usufr. amitt. Imò & uxori à marito constitui potest l. 21. C. mand. De jure tamen Saxonico non nisi consensu hæredum coram judge, Art. 21. lib. 1. Landstecht. & tutoris adid dati auctoritate, art. 44. d. l. 5. Wesenb. in parat. de usufr. accresc. n. 1.

(d) Quod secūs esse in Quasiusufructu contendunt aliqui, utpote qui solà ultimā voluntate constituatur, Connar. 4. com. 4. n. 2. VVesenb. in parat. de usufr. ear. rer. in f. 1. quid JCti passim legandi verbo utantur, d. §. 2. *Instit.* de usufr. l. 69. ad l. Falsid. r. t. de usufr. ear. rer. 2. Quid, si inter vivos constituueretur, ejusmodi constitutio nihil aliud quam mutuum foret. Quod vix admittendum videtur; tūm quia Imp. in d. §. generaliter dicit, *constitui posse*, quod ad legatum restringi non debet: & legati verbum idē JCtis frequentatur exempli loco, quia & modus ipse testamento quam inter vivos frequentior: Tūm quia verus usufr. pactionibus & stipulationib. is introducitur, dd. text. E. & Quasiusufructus: Ratio connexionis, quod Senatus ad exemplum veri, Quasiusufructum admisit d. §. 2. Et differentiæ ratio inter mutuum & Quasiusufr. est, qnod mutuum quocunq; tempore, modò pecunia mutuo accedit, in usus necessarios jam erogata sit, repeti potest, Dd. in l. 68. de

v. o. At æstimatio rei fructuarie non nisi Fructuario mortuo aut capite minuto. *Addit. Colleg. Argent. lib. 7. t. 5. th. 2.*

(e) L. 3. in pr. de usufr. §. 1. *Instit. eod.* Nec est, quod quis cum non nemine Tribonianus insultet, quasi insignem errorem cōmiserit hoc adserendo; cum non servitus per pactionem aut stipulationem acquiratur, sed actio tantum, quā deinde debitor cogatur constituere; non enim id, quod extrellum est in hac constituendi ratione, sed media innuuntur in d. s.

(f) Cujus rei exempla habentur in eod. §. 1. *Instit. de usufr.* ubi quis usumfr. distribuit vel inter legatarium & hæredem; vel inter legatarios tantum. Priori casu usumfructum relinquit vel Legatario; & tunc hæres nudam habet proprietatem; vel hæredi; & vicissim Legatarius nudam habet proprietatem. Posteriori casu, alteri legatariorum relinquit usumfructum, alteri deducto eo fundum. Quod si testator duobus aut pluribus conjunctis simul aliquibus rei usumfructum relinquit, fus accrescendi locum habet. De quā tamen materiā difficili & inexplicata satis hoc in instituto, dici haud posse, cum VVes. in parat. ad hunc t. inf. existimamus. Praestat ergo de ē tacere, quam pauca dicere. *Bachov. I. Disput. Treutl. 16. thes. 4.*

VIII.

Finis alias est Vsusfructus veri, alias Quasi-ususfructus. Veri Vsusfructus is est, ut Fructarius re in usumfr. concessā utatur boni viri arbitratu, seu ut bonus paterfamilias. (a) In Quasiusufructu, ut res, cuius usus in abuso consistit, absumentur. (b)

(a) L. 65. de usufr. ita, ut dominus securus sit de proprietate, l. 12. in pr. eod. Alioqui si re male utatur, ab eo conveniri potest ad interest, ex cautione, quam præstat fructarius cogitur, l. 18. §. 2. de damn. infest. l. 20. de usufr. l. 4. C. eod. l. 1. usufruct. quemadmodum cau. Male autem tum uti re videtur Fructarius, cum eam deteriorē facit, aut fieri patitur, cum prævertere posset; immo & cum substantiam & formam rei immutat, et si eam faciat meliorem l. 7. inf. l. 44. de usufr.

(b) L. 2. & 7. de usufr. ear. rer.

Hactenus



Hactenus de causis constituendi ususfructus : In constituto attendenda tūm consentanea , tūm dissentanea . Ad consentanea refero tūm Remedia hūc spectantia , tūm Effectum obtenti ususfructus . Remedia (a) concernunt tūm rei , in quā ususfructus constitutus est , consecutionem : (b) Tūm rei jam consecutæ conservationem & tuitionem , (c)

(a) Videamus prius , quomodo constitutum nobis Usufructum actionibus persequamur , & acquisitum conservemus : Postindē consideratur Effectum ejusdem , id est , commoda & onera , quæ Usufructuarius securè suo jure utens , hinc sentit & reportat .

(b) Quasi possessio hujus servitutis ab usufructuario vel acquisita est , de quo lit . C. vel nondūm acquisita . Hoc casu is , cui passionibus ususfructus promissus est , nihil aliud ex hac promissione & obligatione , quā personalem ad usumfructum petendum actionem consequitur , quā compellere potest promissorem , ut usumfructum sibi constituat , l. pen . C. de usufr . Atque ita obligatio ne faltem alium conferunt jus ad rem , non verò jus in re constituitur . Govean . 1. var . lett . 9. Ad ipsum porrò usumfructum seu jus in re conendum , non solà promissione , sed in fructuarium fundum inductione seu patientiâ ; quæ in incorporalibus pro traditione est , l. fin . de servit . opus est , d. l. fin . l. 20. C. de transact . ubi tamen aliud forte dicendum in usufructu legato , in quo æquè facta hæredis opus non est , per ea quæ habet Treutl . 1. disp . 16. th . 3. lit . A . Quis enim alias effectus esset , quod legati dominium ipso jure transire dicitur . l. 80. de leg . 2. l. 64. in f. defurt . Quanquam possessionem & hoc casu ipso jure non transferri , sed illum ab hærede in eam inducendum esse Dd . communiter statuant in l. f. C. de legat . Deindē & actione confessoriâ usufructuarius ab aditâ statim hæreditate experiri potest , ad Quasipossessionem ab hærede avocandam l. pen . si usufr . pet . vbi VVesib . in parat . n . 4. differentiam ha- rum duarum actionum , hoc casu competentium , tradit .

(c) Literâ superiori remedia attigimus , quæ , nondūm ac-

B 3 quisitâ

quisitâ re ià usumfructum concessâ , prodita sunt , quale & actio personalis est ex stipulatu vel testamento competens , & confessoria : Nunc perpendenda remedia , quibus usufructuarius , qui Quasi posse sionem rei in usumfructum concessâ jam consecutus est , usumfructum conservare ac tueri possit . Ea remedia , praeunte Donell . 19. com . 11. distingui possunt ex impedimentis , quibus opponuntur . Impedimentum vel presens est , vel futurum : presens huic juri utendi fruendi objicitur tum ab eo , qui possidet , tum ab eo , qui possidere usufructuarium prohibet . Si eo impediatur usufructuarius , quod alius , rem fructuariam possidendo , fructuum perceptioni obster competit illi 1. Actio confessoria , quâ agit ad hoc , ut judex declarat , jus sibi esse utendi fruendi , & impedientem condemnet , ut caveat de imposterûm non impediendo . Treutl . d . disp . th . 7. lit . B . 2. Interdictum unde vi , quâ experitur , ut sine exceptione res sibi restituatur l . 3. § . 13. de vi & vi arm . 3. Actio utilis , de quâ in l . 60 . de usufr . Don . d . l . Posteriori casu , si possidens usufructuarius prohibeatur ab aliquo , quo minus liberè utatur , sive id à Proprietario ; sive ab Extraneo fiat : eadem actio confessoria illi conceditur adversus turbantem & impedientem , ad vindicandum scilicet usumfructum , fructus & omnem causam l . 5. § . 5. si usufr . pet . non autem ad vindicandam servitutem fundo fructuario debitam , licet id Julianus statuisse dicatur , referente Vlp . in l . un . § . 4 . de remission . Ad quam legem Cujac . i . obs . 16 . respondet , Juliani sententiam referri non probari ab Ulp . dum ille manifestò contrarium in iisdem ad Edictu commentariis profiteatur , uti patet ex l . 5. § . 1 . si usufr . pet . Hec si impedimentum presens fit . Cæterum si futurum , & ex causa praesenti vel opere coepit metuendum , opus novum nunciabit , non quidem suo , sed procuratorio nomine , ut idem Vlp . scribit l . 1 . § . fin . de oper . nou . nunciatur .

X.

Ad Effectum obtenti ususfructus pertinere videntur partim commoda , partim onera , quæ utrinque usufructuarium sequuntur . Commoda sunt omnes (a) fructus , naturales & civiles , (b) quos vel ex ipsâ re directo , vel per obliquum ejusdem occasione obtingentes , usufructuarius lucratur . (c)

Ratio



(a) Ratio est in plenitudine, ut sic dicam, & pinguore huius servitutis naturam, unde & plenissima dicitur, in comparatione ad usum, de quo infra. Praesupponimus autem hoc loco possessionem naturalem, l. 12. in pr. de acquir. possess. §. 4. Instit. per quas person. cuique acquir. & adminicula, sine quibus commoditates haec percipi nequeunt, ut est ipse ad rem aditus l. 1. §. 1. si ususfruct. per.

(b) Illos putam, qui ex ipso rei corpore, hos, qui occasione rei obveniunt, V. C. usurae, pensiones, l. 62. de R. V. qua, licet fructuum nomine propriè non veniant, attamen interpretatione juris civilis haberi dicuntur Ioh. del Castil. d. tract. cap. 36. Naturales sunt vel in specie tales, vel industrielles. Illi magis tales sunt, quod ex corpore magis frugifero, nullo aut exiguo hominis ministerio prodeunt: Hi magis tales, quod ex corpore alioqui sterili industria humana notabili, cooperante naturam eliciuntur; solus ancilarum partus fructuum appellatione venire non videtur l. 68. de ususfruct. Ratio. in §. 37. Instit. de R. D. quod omnes fructus hominis causa rerum natura comparaverit.

(c) Adhuc cohaerentes corpori, & multò magis eos, qui sperantur, si excipias; Reliquos omnes lucratur usufructuarius, sive illi separati sint à fundo, sive etiam percepti, sive consumti, sive in bonis ejus adhuc extantes: Ratio: Est enim fructuum ex re fructuariā quoquomodo perceptorum non usufructuarius, sed pleno iure dominus, ut res quidem in usufructu esse dicatur, non in abuso; fructus in abuso, non in usufructu: Vult. i. Iurispr. Rom. 63. n. 25. Devolventur ergo ad hæredes etiam, l. 7. 9. l. 48. §. 1. de ususfr. l. 13. quib. mod. ususfr. amitt. §. 7. Instit. de R. D. Sin autem decellerit, fructibus maturis quidem, nondum tamen à terrā separatis & perceptis, illos non consequentur ejus hæredes, cum usufructus, tanquam jus personale, cum ipsa personā extinguatur, nec ad hæredes transeat: Dd. communiter ad §. 37. Instit. de R. D. Unde expediti iuris est, Fructarium usum fructum alteri vendere, locare, oppignorare, vel etiam gratis concedere posse, ob textus satis manifestos, §. 1. Instit. de us. & habit. l. 12. §. 2. l. 38. & 67. de ususfr. l. ult. de usur. l. 11. §. 2. de pignor. Sed hoc tantum de fructuum percipientium commoditate verum est; secūs de ipso iure principalī, ex quo illa commodi-

commoditas prōmanat; hoc enim usufructuarius alteri concedere nequit l. 6. c. de usfr. cum Ususfructus semper aestimetur ex persona fructuarii; Vnde retinetur, licet alteri sit venditus; siquidem per emptorem uti frui intelligitur l. 38. de usfr. l. 8. §. fin. de peric. & comm. rei vend. l. 9. §. 1. locati.

X I.

Verūm enim verò quemadmodum ad Fructuarium rei, cuius usumfructum habet, commoda spectant: Ita ex naturali ratione (a) & onera quædam ipsi incumbunt, quorum alia sunt antecedentia, (scilicet ipsa commoda) ut est Cautio præstanda; (b) alia concomititia, videlicet rūm rei tuitio, (c) rūm pensionum & debitarum præstationum exsolilio; (d) alia consequentia, rei restitutio, usufructu finito. (e)

(a) L. 10. de R. I. & c. 55. de R. I. in 6. l. un. §. 4. C. de cad. toll.

(b) Donellus 10. com. 13. annumerat etiam oneribus ea, que in non-faciendo consistunt, ne scilicet rem deterioret aut surripiat l. 13. §. 2. l. 66. de usfr. forsan non satis commodè, si cum l. 15. inf. de condit. insit. compares.

(c) Tuitio spectat vel rem integrum, vel ex integritate corruptam. A re integrâ debet avertere incommoda: Tantam enim curam servandis rebus adhibere debet, quantam diligens paterfamilias, l. 65. de usfr. l. 1. §. 4. & l. 2. usfr. quemadm. cau. Si res à pristinâ integritate recellerint, reparare illas tenetur. Incumbet itaque ipsi refectio ædium, l. 7. §. 2. de usfr. item substitutio arborum demortuarum, prioribus ad eum pertinentibus. l. 18. eod. ut & suppletio gregis, armenti, equitii l. 68. §. ult. cum duabus seqq. eod. Cæterūm modica tantum impensa in reficiendo ad usufructuariū pertinet, immodica Proprietarius sustinere cogitur l. 7. §. 2. d. t. ac proindè si quid ultra, quam debebat, erogatum fuerit, ex rescripto Gordiani in l. 7. C. de usfr. repeti illud poterit. Quænam autem modica vel immodica sit impensa, cum Schneidvv. ad §. 2. Ins. de usfr. iudici decidendum relinquisimus.

(d) Ratio est: Tūm, quia hæc onera, V. C. stipendia, vestigalia,



366.

galia, pensiones, ipsis praediis sic imponuntur, ut praedia perse, & persona possidens ipiorum nomine sit obligata l. 7. de public. & reddit. Tum quia & ipse Vslufructarius vestigalia, fundo fructuarium debita, percipit & consequitur, l. 13. inf. de impensis in res doral. fact. l. 13. C. de action. empt. & vendit. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. de usufr. l. 28. de usufr. & us. leg. Si tamen proprietario specialiter a Testatore injunctum fuerit, ut tributa praefter, voluntas ejus haud dubiè sequenda erit, l. 46. §. 1. & l. 52. de usufr. ita tamen, ut nihilominus Vslufructarius a fisco conveniri l. 42. de pact. l. 7. de public. & reddit. & è contrario Vslufructarius, quod eo nomine exsolvit, a Proprietario repetere possit l. 52. §. pen. de pact. Den. 10. comment. I Clis. 13. inf.

(e) Quemadmodum cautione Vslufructuaria concinetur, ut supra dictum.

XII.

Ad Contraria seu Dissentanea Vslufructus constituti pertinent modi, quibus Vslufructus finitur: (a) Quod fit vel ex persona Fructuarii, vel ex re in Vsumfructum concessa. Ex persona Fructuarii finitur Vslufructus, tum morte ejusdem & naturali (b) & civili, (c) tum vtendi negligentiâ, (d) quâ negligitur vel modus præstitutus, (e) vel tempus; quod in re mobili triennium, in immobili decennium inter præsentes, vicennium inter absentes. (f)

(a) Est hæc usitata in jure nostro tractandi ratio, quâ causis constituentibus corruptentes statim subjiciuntur, quod in Institut. cum primis V. C. materiâ patriæ potestatis, Tutelarum, Testatorum, Obligationum; in Digestis etiam, in hoc præsertim de usufructu tractatu, de Servitutibus, Pignoribus &c. observare licet. Quod compositores juris non inconsultè egisse dicendum est, sed ad naturam ipsam respectu habito, quam cum principiis suum rebus terminum simul proposuisse videmus. Heig. ad pr. I. s. tit. quib. mod. patr. potest. solu.

(b) L. 3. §. f. quib. mod. usufr. amitt. l. 3. 10. 12. 13. 16. Cod. de usufr.

C

usufr.



usufr. speciale tamen est in l. fin. C. h. per rationem adjectam. Nisi forte inter constituentes Vsumfr. convenerit, ut si ad heredem eumque primum tantum, transiret, l. 14. vers. talis. C. de usufr. Ioh. del Castillo d. tr. c. 61. n. fin. Fructuarij autem adhuc superficie, licet dominus proprietatis iebus humanis eximatur, jus tamen vtedi fruendi non tollitur, l. 3. §. 1. C. de usufr. l. 9. D. quib. mod. usufr. amitt.

(c) Puta per maximam & medianam capitis diminutionem §. 3. Inst. de usufr. l. 16. §. 2. C. cod. quia non solum vlusfructus perit, sed & actio de eodem, l. 1. in pr. quib. mod. usufr. amitt. Quia Fructuarius definit esse liber & civis Romanus, non aliter atq; ille, qui naturali morte est extictus: Jam vero vlusfructus est jus civitatis Romanæ: E. vt in omnibus actibus civilibus, ita & hic. Olim quidem & minimâ capitis diminutione extinguebatur, §. 1. Inst. de acquis. per arrog. illud tamen Justin. sustulit in l. pen. §. 2. C. de usufr. vbi ratio: Cum per minimam capitis diminutionem non subducatur vlla tenuis persona Fructuarii, uti superioribus. Don. 10. com. 17.

(d) Ratio: vlusfructus enim consistit in actu ejus, cui debetur, nec consistere potest, nisi sit aliquis, qui vatur fruatur, l. 1. in pr. & §. 2. quand. dies. usufr. leg. ced. vel alias saltem ejus nomine, l. 38. de usufruct.

(e) d. §. 3. Inst. de usufr. l. 10. & 11. quemadm. servit. amitt. l. 2. de aq. quor. & ast. Ratio: Quia omnino uti frui non viderut, qui non eo modo vritur fruatur, l. 17. & seqq. servit. quemadm. amitt.

(f) l. pen. §. 1. de usufr. & l. fin. in f. C. de long. temp. prescript. Nisi vel res ita comparata fuerit, ut nullum ejus vsumfructum habere possit vlusfructarius l. 12. §. 3. de usufr. vel vlusfructus alternis annis sit legatus. l. 28. de usufr. ear. rer. Rationem subjungit Amplissimus Dominus Praes. d. diff. de usufr. th. 58.

XIII.

Porrò ex re in vsumfructum concessâ solvitur vlusfructus vel coniunctione cum proprietate, vel naturâ suâ Priori casu vel Proprietarius consequitur vsumfructum per Cessionem, (a) (qua, si extraneo fiat, nihil agitur: (b) vel Fructuarius proprietatem per consolidationem. (c) Sui natura solvitur vlusfructus & interitu totius, (d) & mutatione formæ seu speciei interioris. (e)

(a) L. 3.

508

(a) L. 3. §. ult. de usuf. accresc. §. 3. Inst. de usuf. Ratio: Tunc enim dominus eo vultur jure domini, non iuritutis, cum res sua nemini serviat. Vult. ad d. §. 3. Inst. de usuf. n. 3.

(b) Quod scilicet cedi res aliqua nulli posset, qui non acciperet in sua personā idem jus, quod cederis habuit in sua. Vlp. frag. t. 20. §. 8. Fiebat enim in iure: arg. l. 75. de jud. At hoc manifeste injurium foret in Proprietatum; cum ita morte vel naturali vel civili primi ususfructuarii jus non extingueretur. E. nihil agitur à Fructuario, (scilicet ratione translationis) agitur tamen aliquidratione dismissionis, quia usumfructum amittit, eumq; dominus consequitur l. 66. de jure dotium.)

(c) §. 3. Inst. de usuf. Ratio: A potentiori enim proprietatis causā absorptum jus iuritutis evanescit, l. 17. & 22. quib. mod. usuf. amitt.

(d) L. 5. §. 2. & seq. quib. mod. usuf. amitt. adeo, ut ne quidem in partibus, quæ superfunt, salvus remaneat, l. 10. §. ult. & l. ult. d. t. V. C. si ædes incendio absunta fuerint, aut terra motu corruerint, ne areæ quidem ususfructus debetur §. f. Inst. d. t. Gars. tr. de expens. c. 11. n. 19.

XIV.

Post Servitutem Personalem plenissimam rectâ sese offerunt minus plenæ, (a) Usus nimirum (b) & habitatio. Est autem usus. (c) jus utendi rebus alienis, salva earum substantia. (d)

(a) Minus plenæ dicuntur hæ servitutes, in comparatione ad usumfructum: ususfructus enim & ad necessitatem, & ad voluntatem est: usus ad necessitatem dunitaxat, §. 1. Inst. de us. & habit. Immò usui fructus ita deest, ut ususfructarius usum cum fructu, usuarius usum sine fructu regulariter habeat, l. 1. & 2. l. 14. §. 1. de us. & habit. Cuj. ac. 8. obs. 9. sic ususfructus fundi Corneliani apud Semproniu, fructus apud Cajum, proprietas apud Cornelium esse potest, d. l. 14. §. fin. de us. & habit. Zaf. antin. p. 1. n. 13. De habitatione paulo post.

(b) Usus vocabulum æquivocum est & genericum, variisque modis sumitur, quos videlicet in Colleg. Arg. lib. 7. t. 8. rh. 2. Nos, reliquis significationib. sepositis, pro iure servitutis usurpamus, in quo significatu & usus nudus pr. Inst. b. t. l. 1. D. cod. & Ch. 7. l. 10. §. 1. cod. accipitur. (c) Gl. in pr. Inst. b. t. l. 1. cod. arg. l. 12. §. 1. b. t.

(d) Quia, ut Fructuarius, sic & usuarius cogitur fatisdate, se usurum

C 2 re



re boni viri arbitratu, ita, vt illam non reddat deteriorem, neq; im-
mutet. l. 5. §. 1. de usufr. quem adm. cau. l. 15. in f. de us. & habit.

XV.

Servitus usus itidem considerari potest vt constituenda & constituta, constituitur nudus usus iisdem modis, (a) quibus ususfructus.

(a) L. 5. de us. & habit. pr. Inst. eod. V. C. constituitur Testamento & pactiōnib; in rebus tām mobilib; quām immobiliib; &c. Sunt tamen res, quā usui, non fructui sunt l. 64. de R. V. de quib. Colleg. Argent. d. l. th. 4. Hoc interest, quod ususfr. pro parte divisā constitui potest. l. 5. de usufr. Vlus autem ita constitui nequit, l. 19. eod. Ratio: Positus enim est usus in nudo facto, facta autem istiusmodi sunt indivisa. Don. 10. com. 24. In usufr. præter usum etiam effectus sunt, qui, cum dividi possint, ususfructus etiam dividuus eo respectu dicitur, d.l. 19. de usufr.

XVI.

Constitutā servitute usus, itidem respicitur tūm ad consentanea, tūm ad cōtraria. Ad consentanea pertinent tūm remedia, tūm effectus obtenti hujus juris. Remedia eadem, quā in usufructu. (a) Effectus dispar. (b) Sed & contraria eadem. (c)

(a) L. 17. de us. & habit. ibi: persecutionem ejus eodem modo competituram.

(b) Effectus ille conspicitur in vtendi & modo & jute. Don. 10. com. 24. Quod modum attinet, is diversus est in vnu & usufructu. V. C. frugib; vti ad subsidia vitæ potest usuarius: Fruī ad compendium nequit, §. 1. Inst. de us. & habit. vbi, licet & oleribus & pomis vti eum posse, dicatur; quia tamen nihil magis sumere potest, quam pro quotidiana necessitate statim consumturus est, ideo fit, vt fundo tantū vti videatur. In jure etiam vtendi Effectus dispar, quām in usufructu sese exerit: usuarius n. usum vendere, locare, gratis concedere nequit. (Ratio: Quomodo enim aliis vti poterit, quo ipse vtor? l. 12. §. fin. de us. & habit. Nisi vel de Testatoris voluntate

tate conjectura, vel rei conditio diversum suadeat, ut in l. 22. d. t.)
Cum is, qui vsumfructum habet, possit hæc omnia facere, l. s. i.

Inst. de us. & habit.

(c) L. 21. de us. & habit. Finitur enim itidem morte natu-
rali & Civili, cessione, &c. Hotom. pr. Inst. de us. & habit. enunc. i.
Et t. t. D. quib. mod. ususfr. vel usus amitt.

XVII.

Postremum de Habitacione (a) videamus. Ea di-
citur jus (b) habitandi (c) in ædibus alienis, salvâ ca-
rundem substantiâ. (d)

(a) Hanc è numero Servitutum eliminant nonnulli: Ve-
rū nos expresso textu §. 4. Inst. h. l. 32. D. de ususfr. l. 13. C. eod. quin
etiam inscriptione tûm Inst. tûm D. tûm C. Titularum nisi id ne-
quaquam admittimus cum Vulteo in meth. l. i. c. 63. & in ideâ jur.
Log. Vigil. in D. suis l. 24. inf. Schneidev. Inst. de ususfr. in pr. n. 3.
Zaf. ad §. 2. Inst. d. l. Connan. 4. comm. 5. Castillo de ususfr. c. 18. n. 18.
Capolla de servit. c. 6. Nec contrarium nobis, persuadere debet l. t.
de servit. quæ tantum vsum & vsumfructum inter servitutes perso-
nales enumerat. Velenim exempli causa id solùm factum esse pu-
tandum est, innuente voculâ Ut (Hinc VVesenb. in paratit. de ser-
vit. n. 1. supplet eum numerum; continuationem siquidem lex il-
la exhibet, ac si diceretur: superiori libro actum esse de servitutibus
personalibus, quales sint usus & ususfructus: Nunc restare Prædia-
les:) vel quia dubitatio adhuc fuit inter veteres de illâ specie, vt
patet ex d. l. 13. C. de ususfr. idè de ea nihil assertum.

(b) §. 5. Inst. de usu. & habit. ibi: quasi proprium aliquod
jus: Quod eo loco non denotat Jus improprium servitutis, ut vult
Wesenb. ad d. §. siquidem in l. 13. C. de ususfr. latis luculentius proprium,
& speciale nomen sortita dicitur habitatio. addit. §. fin. Inst.
od. ibi: Hæc de servitutibus (sc. Prædialibus) &usu & ususfructu
& habitatione (tanq. personalibus) &c.

(c) Diversa hæc esse: Domum legare ad habitandum; ha-
bitationem legare; facultatem habitandi legare; ostendit Francif-
icus Mantica in tr. de conject. ult. volant. l. 9. t. 4. n. 9.

(d) Quia habitator, perinde vt fructuarius & usuarius, sa-
tis dare



tis dare cogitur, se usum eā domo boni viri arbitrio, ita, vt eam
neq; deteriorem reddat, neq; mutet, sed sartam testam habeat &
reficiat, l. i. & s. D. ususfructuar. quem adm. cau.

XVIII.

Et hanc servitutem vt constituendam & constituta,
licet intueri. Ad constituendam concurrunt, causa Effici-
ens & Forma eadem, (a) Circa Materiam est aliquid pe-
culiare. (b)

(a) Utenim illa: Ita & hæc servitus tam inter vivos, quām
vltimā voluntate constituitur; gl. in §. pen. Instit. de usu & habit. in
verb. aliquo modo. Ut in illis: Ita & in hæc requiritur cautio, ve-
luti dictum est, de utendo boni viri arbitratu l. s. §. i. l. n. D. ususfr.
quem adm. cau. Schneidvv. ad d. §. pen. l. n. 6.

(b) Ususfructus enim & usus non solum ædium, sed cætera-
rum etiam rerum constituitur: Habitatio, nisi ædium, nulla dici-
potest, Mynsing. ad d. §. pen. n. 5.

XIX.

De constitutæ servitutis hujus quæritur tam con-
sentaneis, Remedii putar. (a) & Effectu; (b) quām
dissentaneis. (c)

(a) Remedia, quæ in superioribus, eadem.

(b) Atque hoc iterum servitutes hæc differunt: siquidem
ususfructus omne ædium continet emolumentum, & quod ex ta-
bernis & cellis percipitur: Usus non omne emolumentum conti-
net, sed tantum ad necessitatem usuarii restringitur. Habitatio
estimatur à toto proventu habitandi; undè est, quod ususfructus
locari, vendi, donari potest, uti dictum: Usus neutiquam. Habita-
tio donari quidem non potest, perinde ut nec usus l. 10. D. de usu
& habit. locari tamen utique d. §. pen. in f. d. t. Non itidem ulus
l. 8. & 11. D. de usu & habit. Licit in eo convenient, quod utrobi-
que easdem secum in habitationem admittere possunt personas,
quo sensu in effectu servitutes hæc posteriores convenient dicuntur
in d. l. 10. n. 2. admissibilius in d. l. 10. n. 2. admissibilius in d. l. 10. n. 2.

Differ-



369

(c) Dissentanea partim sunt communia cum superioribus speciebus, partim peculiaria. Nos, sequestratis illis (quod sc. nec Habitatio ad hæredem translat l. 10. in pr. D. de usu & habit.) hæc videamus. Ususfructus & usus inter alia capitis diminutione & non utendo amittuntur, uti dictum : Habitatio non item, d. l. 10. in pr. Ratio diversitatis forsitan ea videri potest, quod usus quidem Jurisgentium institutum est, §. fin. Inst. de usu & habit. sed tamen à Jure Civili conformatum, id est, certis acquirendi & amittendi modis definitum, cuiusmodi etiam est capitis minutio : Habitatio verò à Jure Civili conformata non est, sed in facto ipso reliqua, quod de pactis dicit I. C. in l. 27. §. 2. de pact. quamobrem capitis diminutione non perimitur, quia sine alimentis & habitatione vi-
vere non possumus, gl. in l. 10. D. de cap. min.

Sed hic figamus anchoram ; à Deo præpotenti nobis in ipso conflitu præsidium, à commilitonibus benevolentia favonios, ab omnibus temeritatis veniam, quantà par est submissione, orantes.

SVPPLEMENTI LOCO.

I.

Quid sentiendum de duabus Guicciardini narratis ? Quorum priori commemorat, Anno 1505. Hippolytum Estensem Cardinalem vehementi juvenilę sanguine sibi conjunctæ amore flagrantem, suum ex concubinā fratrem Julium (ad cuius amorem oculorum potissimum ejus pulchritudine se accendi ipsamet fassa erat Hippolyto) in agris, venationi intentum, obsediisse, & e- quo descendere jussò, oculos, velut amoris sui amulos, erui, fasciante sensus Zelotypiā, jussisse & spectasse, Lib. 6. hist. Ital. Quos tamen subita diligensq; Medicorum cura, absq; luminis jacturā in locum suum reposuerit, Lib. 7. hist.

II.

In altero scribit, obsessā ab exercitu Pontificis, Hispani & Venetorum Anno 1412. Bononiā, cuniculum igne injecto, tanto impetu



impetu strepituq; sacellum quoddam in altum sustulisse, ut per illud spatum, quod inter solum murumq; sublatum relinquebatur, à dicto exercitu interior civitas militesq; ad defendendum parati, aperte conspecti fuerint: Verum eum ipsum murum, integrum, in-
divulsāq; coagmentatione, in eundem locum, unde ignis impetu projectus fuerat, recidisse, atque ita compositum subsidisse, ac si nunquam motus fuisset. lib. 10. hist.

III.

Duo Electoris Moguntini effata in deliberatione de Caroli V. Electione, (apud Sleidanum lib. 1.) crucem Politicis posuerunt. Alterum, quod Franciscum I. Galliæ Regem rejiciens, calculumq; Carolo V. tribuens, hæc ratione utitur: Animi fortitudinem in Francisco deprædicari, sed illam ad Monarchiam spectare: Germanis autem imprimis Aristocratiam retinendam esse. Alterum, quod lege cautum esse dicit, ne decus Imperii ad exterios transferatur.

Priori subnixus Bodinus, contrà Germanos ex propriâ Archicancellarii sui & Electoris primarii, cui arcana Imperii quam maximè nota fuerint, cōfessione, disputat, Aristocraticū Imperii statū esse; 2. de Repub. c. 6. Posterioris indicio, quæ sit illa lex, & ubi lateat, disquiritur?

Utrumq; sanam & facilem recipit interpretationem.

IV.

Miratur non solum, sed etiam pro incredibili habet, Dio-
Cæsius, adolescentem ab Indis Augusto Cæsari A. V. C. 734. mil-
sum, qui manuum, quibus carebat, loco, pedum omnia officio per-
eget, iis arcum intenderit, sagittas emiserit, tubâ
cecinerit: Lib. 54. hist: Nequicquam.


F I N I S.

Strassberg, Diss., 1623-26

X26 n020

UDK





F



B.I.G.

Black

DISPVTATIO IVRIDICA

De

30 358.

1626, 4.

ŠERVITVTI BUS PERSONA- LIBUS

QUAM
D. O. M. A.

PRÆSIDE

Amplissimo Consultissimo Viro,

DN. CASPARO BITSCHIO, I.V.D.
EMINENTISSIMO, IN ACADEMIA ARGENTORATENSIS P.P. ET INCLYTÆ FACULTATIS
juridicæ Seniore; Præceptore & Fautore suo
officisè colendo

*Publicæ ventilationi exponit**MARTINV WILLER SIL.*

Ad diem Decembr. horis locoq; solitis.



ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI.